



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Desiderius. Dialogvs Vere Pius, & Comprimis Iucundus, De  
Expedita Ad Dei Amorem Via**

**Comalada, Miguel**

**Elvaci, 1685**

Cap. IV. De Humilitatis Domo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60062](#)

*De Humilitatis Domo.*

C A P U T I V .

**I**gitur relicto Pastore, Desiderius iter ingressus est, unà cum cane suo juxta ipsum cursitante, cùmque in itinere haud mediocriter confirmante & consolante. Ubi aliquam multos dies atque noctes eundo exegerat, Dominica die ad pratum quoddam pervenit, ingens sanè, elegans ac jucundum, sed in arida ac petrosa regione, vel solo, situm. Quæ res non parvum illi stuporem ingessit, quòd tam elegans, viride, floridumque consiperet pratum in loco usque adeò sicco, lapidoſo, spinis ac tribulis obſito. Porrò in hujus prati medio eximiæ erant constructæ ædes, quod illi magnam attulit voluptatem & lætitiam. Accedens autem proprius, vidi fores clausas, & virginem quamdam ad cas foris consistentem, habitu qui-

dem

dem. & gestu ac moribus, ut videbatur, honestam. Quæ ubi Desiderij canem contuita est, timore ac terrore cœpit corripi. Ad quam Desiderius: Nihil, ait, timeas: nānique canis meus nemini nocere novit. Mirabatur interea vehementer Desiderius, videns virginem hanc solam præ foribus consistere, dixitque illi: Quid hīc agis aut præstolaris sola, mēa sōror? Cui illa: Expecto, inquit, dum fores patefiant, ut intrō me recipiam. Et Desiderius: Quo, inquit, vocaris nomine? Ad quod illa: Vana Glōria appellor. Interim non parūm diu præstolabatur Desiderius, priusquam porta recluderetur atque paterceret. Cernens autem se diu frustra morari, pulsare atque clamitare cœpit. Habebant nāmque fores malleum ferreum, quo pulsaretur, isque longanimitas dicebatur. Confestim autem vir quidam prodiit grandævus ac venerabilis, portamque:

que aperuit. Siquidem ostiarius  
& totius domus illius custos erat,  
noménque illi erat, Timor DEI.  
Vito hoc tam egregio, cordato ac  
venerando sene, exhilaratus est De-  
siderius, & post debitum illi impen-  
sum honorem, manūmque deoscu-  
latam, ita eum affatus est: Eā gratiā,  
mi Domine, hic accessi, ut equitem  
quendam, vocabulo Amorem DEI,  
perquiram: dictumque mihi est,  
eum per hanc profectum eremum,  
atque ad has ædes appulisse. Quare  
scire velim, sitne intus apud vos.  
Ad hanc inquisitionem ostiarius gau-  
dio perfusus, quippe qui Amorem  
DEI, utpotè germanum suum, im-  
pensè diligeret, ait ad Desiderium:  
Quamobrem, fili mi, hunc equi-  
tem requiris? quid ad illum negotij  
habes? DESIDERIUS. Ea re,  
Domine Pater, illum inquiero, quod  
mihi non modò placeat plurimum,  
sed etiam cumprimis necessarius sit.  
TIMOR DEI: Quid est igitur?

B. Num.

Num tale aliquid habes, quod non  
sis ausus edicere? DESID. Nimirum  
hoc est, Domine, quod illius frui  
consuetudine, apud ipsum famuli  
loco demorari, eoque preceptore  
ac Domino uti percupiam: siqui-  
dem in cunctis hisce regionibus nec-  
dum quemquam, qui meo federet  
animo, Moderatorem aut Dominum  
adipisci potui, tametsi perplu-  
res me expetierint ac obsecrarint.  
Cæterum de hoc Amore DEI ab alijs  
didici, perquam nobilem, beni-  
gnum, & commodum eum esse  
Dominum, servisque suis magna  
largiri præmia, eò quod locuples ac  
liberalis sit. TIMOR DEI sive Ostia-  
rius: Verum quidem est, eum hac  
transisse, sed paucis comitatum.  
Atqui in præsentiarum non est in his  
rectis. Sed parumper expecta, dum  
virginem huc ad te evocem, quæ  
ubinam sit, certis indicis tibi  
declareret.

\* \*

21